

Ch. 181. 6

Ve
643

DE
CVRA BONORVM
ABSENTIS

DISSERTATIO

QVAM
PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CV-
RIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
ORDINIS IVRECONSVLTORVM ASSESSORE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

H. L. Q. S.

DIE XVI. MARTII. A. R. S. MDCCCXXXII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSVRVS EST

A V C T O R

FRIDERICVS GVILIELMVS ROSZTOCKIVS

VARSOVIA - POLONVS

IVR. VTR. CAND. ADV. IMMATR. ET NOTAR. PVBL. CAESAR.

VITEMBERGAE,

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.



DE
C. A. A. B. O. N. O. H. A. M. I.

ALPHABETIS

ALPHABETIS

F. G. O. N. O. S. E. B. A. N. O.

ALPHABETIS

ALPHABETIS

ALPHABETIS

ALPHABETIS

ALPHABETIS



ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO

DE *WIRMS*

DOMINO ET DYNASTAE IN GROSSEN - FVRRRA
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS SANCTIORIS AD-
MISSIONIS MINISTRO ET COMITI CONSISTORIANO COL-
LEGII REGVNDIS REBVS OECONOMIAE ET COMMERCIORVM
PRAESIDI ORDINIS IMPERIALIS S. IOSEPHI EQVITI
COMMENDATORI

LITTERARVM STATORI MAXIMO

P A T R O N O O P T I M O

SVMMA PIETATE

COLENDO.

ILLVSTRISSIME DOMINE,

*M*ente TUIS meritis deuotissima huncce tenuem
libellum TIBI, PATRONE maxime, nuncupare ea
iubet pietas, qua TE cuncti litterarum cultores sa-
lutisque publicae studiosi merito colunt. Nihil certe
mibi TUO patrocinio contingere potest optabilius ni-
hilque eo mihi poterit esse honorificentius. Ignoscas
igitur, Domine indulgentissime, quod has meae in-
dustriae primitias TIBI pia mente offerre ausim. E-

*quidem me meaque omnia TUAE tutelae animo sub-
mississimo commendo, atque, ut ea benevolentia, qua
olim patrem meum amplexus es, me pariter exornes,
enixissimis precibus oro. Deus optimus maximus TE,
splendidissimum Saxoniae ornamentum, diutissime ser-
uet incolumem atque consiliis, quibus commune com-
modum auges, largiatur successus prosperrimos!*

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Vitembergae,


d. 7. Martii

A. c1010ccclxxxii.

additissimus cliens

FRIDERICVS GVILIELMVS

ROSZTOCKIVS.



§. I.
Ratio instituti.

Inter eos, qui insignibus fruuntur iuribus, merito referendos esse puto absentes, quippe qui rebus suis ipsi praesse nequeunt, ut ideo impuberibus, furiosis atque minoribus non incongrue comparentur. Interest vero reipublicae, eosdem, ne vlllo modo laedantur, maxima cura defendi. Ita quoque Vlpianus in *l. 33. §. 2. D. de procurat. et defensor.* his quidem verbis statuit: *publice utile est, absentes defendi. Vbicunque absens damnari potest, ibi quemvis pro eo verba facientem et innocentiam excusantem audiri aequum est.* Adde *l. 3. C. de accusat. et inscript.* Hinc etiam in praescriptionibus et usucapionibus tempus illis est duplicatum. *L. un. C. de usucap. transformand.* Absentes si laesi fuerint, propterea quod ipsi sua negotia curare non potuerunt, fruuntur beneficio restitutionis in integrum. *L. 1. D. ex quibus causis maior.* In forensibus quoque negotiis termini haud raro iisdem prorogantur. Carpzovius in *Proc. Tit. XVI. art. 3. num 24. sqq. et Tit. XVII. art. 3. n. 20.* Quantopere absentibus Romani prospexerint, si etiam alia exempla deficerent, vel ius postliminii concessum iis, qui ex captivitate bellica, in patriam atque ad suos redierant, satis luculenter ostendit. *L. 4. et seqq.*

segg. D. de captiv. et post lim. Cum vero omnibus magistratibus et hodie haec cura sit imposita, ut de rebus et bonis illorum, qui extra patriam suam, in extraneis locis commorantur, sint solliciti; non erit inutile, materiam de cura bonorum absentis, licet a multis me longe doctioribus viris eam pertractatam fuisse, non negem, paulo diligentius ponderare eamque hocce libello, quantum per tenues ingenii vires licuit, proponere. Quod si rem ita, uti grauitas materiae postulat, non exposuero; hoc meum quaecumque studium ut boni humanique censores humaniter interpretentur maximopere rogo.

§. II.

Absentes qui dicantur?

Ante omnia vero, quinam absentium numero habendi sint, exponere debeo. Arctiorem significationem huic verbo tribuit. *l. 199. D. de V. S.* quae tamen hic a me parum erit curanda. Etenim ii tantum, qui domicilio relicto, vel ex patria egressi in alienas terras abire ita quidem, ut, vbi nam gentium morentur, sintne adhuc viui, an mortui, haud confitetur, hic pro absentibus habentur. Horum quidem uti vita, ita etiam fortuna est prorsus incerta. *L. 4. C. de postlim. reuers.* Pro absentibus igitur non reputo eos, qui in vna eademque nobiscum prouincia versantur, vel qui in eo, quo ipsi commoramur, loco vitam degunt, licet delitescant nec ab vlllo cognoscantur, vel nomen suum profiteri non audeant. Quorum absentia uti est voluntaria, saepius quoque dolosa, ita etiam ipsis non succurritur, ut potius tanquam homines negligentes damnum, in quod sua culpa incurrunter, merito sentiant. *L. 16. D. ex quib. causis maior.* Neque hic eum significatum curo, quem Meuius *ad Ius Lubec. L. 3. Tit. 6. art. 3. n. 23. segg.* huic voci tribuit, ratus quippe, absentes iure ciuili atque Lubecensi eos esse, qui in diuersis prouinciis aut ciuitatibus domicilia habent, atque extra fines iurisdictionis, morantur. Sed eorum tantum rationem habeo, qui necessitate coacti atque negotiis impediti, siue publicae rei vtilitatisque gratia, siue ex causa honesta atque laudabili siue ex alia causa retenti, absunt, et qui ita disparuere, ut de vita illorum dubitetur, fortassis, si fieri possit, aliquando ad pristinum domicilium redituri.

§. III.

§. III.

Cura bonorum absentis quibus competat?

Quodsi absens, cuius vita est dubia, bona quaedam vel aliquod patrimonium possideat; magistratus loci, vbi res istae sunt sitae, illa curae et administrationi viri probi et fide digni committere debet, vt reuersuro forte eadem maneant salua. Curam vero absentium ita definitio, vt sit administratio bonorum eius, cuius de vita et reditu dubitatur, proximis successoribus, qui satis cauere, auctoritate magistratus, ad ipsorum petitionem, mandata. Committuntur autem eiusmodi bona inprimis custodiiae et administrationi illius, qui proximus est heres, remotiore excluso; illique propter vinculum sanguinis, quo absenti ipsa natura est coniunctus, in bonis diu absentis eandem iure praecipuo competere, nemo facile in dubium vocabit. Primo igitur ad bona illius administranda admittendos esse puto descendentes. *Nov. 118. c. 1.* Conferatur Crellius in *diff. de filio parentum curatore §. 10.* Deinde ascendentes vna cum fratribus: his vero deficientibus, collaterales secundum praerogatiuam gradus. Richter. *Dec. 65. n. 5.* Carpzouius *Jurispr. for. P. III. Const. 15. def. 49.* Leyser *Spec. 97. Medit. 6.* Quodsi nulli adsint heredes legitimi; postremo omnium curam nanciscitur fiscus. *L. 1. C. de bon. vacant.* et Strykius *de success. ab intest. 5. c. 1. §. 1.* Licet vero mulieres ab officiis virilibus remotae in regula nihil valide sine curatore agere valeant; tamen hodie propter *Authent. Matri C. quando mul. off. tut. fung.* omnibus cognatis, immo fratribus et sororibus, in cura absentis praerferuntur. Cum enim mater sit proxima heres, proxima etiam est ad curam, quam in rem praedictum Scab. Lips. de anno 1577. affert Carpzouius *P. III. Const. 15. def. 48.* Ad hanc curam etiam alii, qui ipsi bona sua administrare nequeunt, modo absentis proxime sint sanguine iuncti, veluti infantes et furiosi sunt admittendi, vti probauit Crellius in *dissertat. quando curat absent. heredes aequae propinq. a success. excludat. §. 3.* Concurrentibus vero pluribus cognatis, eum esse curatorem legitimum, quem magistratus eligit, censet Richter in *alleg. decis. argumento sumto ex l. 7. D. famil. ercisc.*

§. IV.

Num haec cura iuri naturali sit consentanea?

Non vero est dubium, quin cura bonorum absentis iuri naturae sit apta illique consentanea. Etenim sana ratio has regulas in primis praecipit, ut unicuique suum tribuatur, nemo laedatur, absteatur alienis, neque noceatur innocentibus. Aequitas igitur naturalis cauet, ne absentium, qui viui potius, quam mortui praesumuntur, bona male administrantur, neque illi eorum dominio priuentur. E contrario vero suadet, ut bona absentium, quantum fieri potest, conferantur eaque ipsis reductoribus salua atque integra restituantur. Haec igitur cura est iustitiae naturalis iam propria. Confer Ciceron. *de finib. L. 5. c. 23.* Neminem vero cum alterius detrimento et iniuria locupletiolem fieri, iure naturae aequum est. *L. 206. D. de R. I.*

§. V.

Eadem iuri Romano est congrua.

Bonorum curam absentis primam iuri ciuili originem debere, haud contemnendis rationibus contenditur a viris doctis. Vti enim doctrina de tutelis et curis ex placitis iuris Romani recte aestimatur; ita quoque curam bonorum absentis, inde repetendam esse, putant. Qui enim vel ob animi imbecillitatem, vel ob alias causas, rebus suis ipsi superesse nequeunt, aliorum curae subesse debent. Huc vero referendi sunt furiosi, minores, surdi, muti et perpetuo morbo laborantes. §. 4. *I. de curat.* Furiosis vero, quorum flebilis conditio omnino commiseranda, absentes non incongrue annumerantur in *l. 124. de R. I.* Confer quoque *l. 2. D. de curat. furios.* et *l. 15. §. 1. D. ex quib. caus. mai. 25. ann. in integr.* Nulla quidem expressa lege, neque etiam XII. tabulis, eam curam absentium, quae hodie in foris obtinet, introductam esse, libenter concedo: attamen per interpretationem extensiuam illam ob rationis paritatem, suppleri posse, arbitror. Eiusmodi interpretationes viles in primis in fauorabilibus, per totum ius regnant. Lex classica, quae huc pertinet, est *prima §. ult. D. de muner. et honor.* vbi Hermogenianus: *his (scilicet furiosis, prodigis, mutis) similes sunt bonis dati curatores, quae fuerant*

rant eius, qui ab hostibus captus est et reuerti speratur. Cum qua coniungi debeat *l. 5. D. de tut. et curat. et l. 12. eod.* Licet vero in his legibus cura absentis disertis verbis haud exprimatur, ea tamen ex earum rationibus commode elici potest, et verba etiam incidentia interdum pro lege habenda esse, iam monuit Hommelius in *Rhapsod. 297*

§. VI.

Quid iure Germanico de cura absentium sit statutum?

Ex moribus Germanorum curam bonorum absentis repetendam esse, multi statuunt. Confer Schilterum ad *D. XV. §. 72. seqq.* Est vero haec cura in Germania maxime vsitata, atque tunc locum habet, si quis in terris exteris vitam agit et quando nescimus, quo in loco versetur. Tunc vero gradu proximus bona eius administrat. Quo enim quis propior est ad successionem, eo quoque propior est ad illam curatellam suscipiendam. Deficientibus vero agnatis atque cognatis, curator a magistratu constituitur. Plura scire cupientibus commendo maxime Riinum *de fauor. iur. circ. bon. diu absent. Lips. 1697.* Engelbrecht *de iur. absent. Helmst. 1687.* Rosenfeld. *de administr. bonor. absent. proxim. successor. competente. Erf. 1712. et doctam dissertat. V. C. Io. Ad. Theoph. Kindii de successione in bon. absent. §. 4. p. 7. sqq.*

§. VII.

De ambitu huius curae.

Qui curam bonorum absentis in se suscipit, eandem diligentiam, quam tutores et curatores personarum praestare debent, in administrandis rebus curae suae commissis adhibeat, necesse est. *L. 1. §. 22. de ventr. in poss. mitt.* Hinc de bonis absentis, nec non de fructibus aliquando restituendis cauere debet, cum eorum proprietate vel vsufructu non gaudeat. Carpzouius *P. III. Const. 15. def. 55.* Est igitur, cum aliena bona administret, ad rationes reddendas obstrictus. Nemo vero ad hanc curatellam suscipiendam cogitur. Si enim propior bona absentis curare nolit, remotior constituitur, priori tamen spe

succedendi salua, ita quidem, vt illi propiori, quamuis forensi etiam abscedendo cautione aliquando fructus, pro arbitrio iudicis, sint restituendi. Cum vero curator commoda absentis omni modo procurare debeat, potestas simul administrandi negotia illius tam iudicialia, quam extrajudicialia eidem concessa esse videtur. Hinc, si utilitas id poterat, eius nomine agere, excipere, contractus inire, et, quidquid absenti expedit, suscipere, absentis vero bona, praecua causae cognitione et decreto magistratus accedente, alienare atque res tempore perituras distrahere potest, reliquas autem, quae seruando seruari possunt, conseruare tenetur. Quin eadem sollempnitas adhiberi debet in alienandis bonis immobilibus absentis maioris, quae in pupilli aut minoris bonis alienandis vulgo requiritur. Berger *Dec. 52.* et Strecker in *diff. de nullit. alienat. hered. abs. ante tempus legitim. a curatore factae. Erf. 1735.* Munus quoque curatoris absentis per omnia simile iudicatur muneris illorum, qui minoribus et furiosis dantur. Ita certe iure Saxonico constitutum est in *O. P. S. Rec. ad Tit. IX. §. 4.:* *Gleiche Bewandniß hat es auch in diesen allen mit denen curatoribus absentium, furiosorum und dergleichen Personen.* Curatorem absentis denique res ipsi demandatas non rite administrantem, etiam negotiorum gestorum iudicio conueniri posse arbitror, motus auctoritate *l. 4. §. 3. D. de tutel. et rat. distrah.*

§. VIII.

Num cura bonorum absentis ad heredes transeat?

Num cura bonorum absentis ad heredes eius, qui hanc curam gessit, quoque transeat, de eo inter Iureconsultos non conuenit, dum alii hanc quaestionem negant, alii vero affirmant. Priorum quidem sententia magis mihi placet ob eam rationem, quia absens non putatur mortuus, nisi post declarationem iudicalem, viuentis enim nulla datur hereditas, nulla successio. *L. 4. C. de postlim. reuers.* Hinc fratre, fratris absentis curam gerente, defuncto, ibi, vbi ius repraesentationis inter collaterales exulat, non eius liberis, verum potius reliquis defuncti fratribus, tanquam propioribus heredibus, curam deferendam esse putamus. Quam quidem sententiam etiam Hommelius in *Rhapsod. Obseru. 107.* sequitur.

Qui

Qui curam illam transire ad curatoris heredes, exclusis aliis, qui absentii propius iunguntur, affirmant, hanc suae opinionis proferunt rationem, quia cura bonorum absentis iure sanguinis et cognationis proximitate nitatur, ideoque pro legitima sit habenda. Putant igitur, eam contingere iis, qui hereditatem sibi tamquam defuncti curatoris heredibus legitimis delatam esse, sperare possunt. Eam enim latius patere, atque subsidiariam quasi hereditatem aut bonorum possessionem esse, existimant. Sed mihi quidem ambitum et effectum huius curae ultra iustos limites extendere videntur. Conferatur Wernher *P. II. Obs. 356.* et *P. X. Obs. 254.* Carpzovius *L. VI. R. 63.* Faber ad *Cod. L. V. T. 40. def. 1.* Schilter in *Exerc. ad D. XV. 73.* et Kindii *disp. supra laudata §. 5.*

§. IX.

Vtrum absentibus tacita hypotheca in bonis curatorum competat?

Neminem fugit, ab eo, qui absentis bona administranda suscipit, cautionem idoneam vel fideiussoribus, vel pignoribus, in regula esse praestandam. Plus enim cautionis in re quam in persona esse, statuit Pomponius in *l. 25. de R. I.* Deficientibus reliquis cautionibus, iuratoria locum inuenit. *L. 1. §. 2. C. de assert. toll.* Simon in *dissert. de curat. diu. abs. de cuius vita dub. len. 1672.* Tacita vero hypotheca absentem gaudere in bonis curatoris sui, nonnulli negant, prouocantes nimirum ad *l. 22. §. 1. D. de reb. auctorit. iud. possid.* Carpzovium *Dec. 135.* et Berger *E. D. F. Tit. 45. Obs. 2. n. 2. p. 1501.* Leyser. *Med. ad D. Spec. Med. 7.* Saepenumero autem abiens maiorem meretur fauorem, quam minor, praesertim si casu fatali impediatur, quo minus ad suos reuerti queat. Vti vero minor, pupillus, mente captus et furi suis tacitam in bonis tutoris et curatoris habent hypothecam; ita quoque eadem ex simili ratione tribuenda esse videtur absentii in bonis curatoris. Sed hypotheca tacita sine lege expressa non potest concedi. Vulgo quidem multae a Doctoribus passim proponuntur hypothecae tacitae, quae in legibus non sunt fundatae, quas vero tamquam spurias repudiandas esse, existimo. Confer *V. C. Erlebenii Principia de iur. pignor. et hypothecar. Part. spec. Sect. 1. cap. 2. membr. 1. §. 91.* Secundum ius Romanum, haec hypotheca

absenti haud competit. In Saxoniam vero absentes in bonis suorum curatorum iure frui hypothecae tacitae, manifestum est. Licet enim Serenissimus Legislator in *O. P. S. Rec. Tit. XLV. §. 1.* pignora tacita sustulerit, absentibus tamen expressa hypotheca consulendum esse, statuit. Sed in *Mandato regio de d. 24. Septembr. 1734. in Suppl. C. A. Tom. I. p. 299.* vti aliis personis, ita etiam absentibus hypotheca tacita fuit restituta, his verbis: *Unmündigen, und diesen gleich zu achtenden, als Abwesenden.* Aequiparantur ibi pupillis, nec igitur est dubium, quin in nostris terris aequali favore fruantur. Conferatur quoque Illustr. Küstnerus in *animaduers. ad Gribneri sermon. ad O. P. Rec. T. XLV. §. 5. p. 450.* et Hommel. in *Rhapsod. Obs. 39.* Recte igitur faciunt magistratus cuiusvis loci, iudicio quidem Illustr. Winckleri *ad Bergeri Oec. L. IV. Tit. 31. th. 2. p. 922.* si, dum absentibus curatores dant, in eorum bonis immobilibus, hypothecam iudiciale, ex quantitate annuorum redditum aestimandam, constituent eamque sua auctoritate confirment, et in libro, quem vulgo consensualem vocant, adnotari curent.

§. X.

Exponuntur plura de iuribus, quae absentibus competunt.

Iura reipublicae causa absentibus, intuitu restitutionis in integrum competentia, nemini sunt incognita. Reipublicae causa absunt, qui a principe, vel a republica ad alias gentes ablegati sunt ad negotia expedienda publica, vti legati principis. Alii quidem non publice, sed tamen ex causa laudabili et honesta absunt, vti ii, qui litterarum discendarum gratia, alibi versantur. Hi omnes in integrum restituuntur, modo probauerint, se ex iusta absuisse causa, cum nemini iusta absentia debet esse damnosa. Confer Fromman. *Diff. de his, qui reipublicae causa absunt.* Mascard. *de prob. V. I. concl. 7.* Adde Leyser. *Sp. 63. M. I. seqq.* Licet autem quis vel ex necessaria causa, v. c. militiae causa absuerit: attamen is contra praescriptionem longissimi temporis in integrum non restituitur, quippe quae et ignorantia currit. Hommel. *Rhapsod. Obs. 208. n. 8.* Qui reipublicae causa absunt, ab omnibus muneribus personalibus immunes esse censentur. *L. 7. seq. D. de legationibus,* et quamdiu absunt, excusantur a susce-
pta

pta tutela, a suscipienda vero intra annum, ex quo reuerterint. §. 2. *I. de excusat.* Qui vero in peregrinas terras reipublicae caussa abierunt et procuratores reliquerunt, a quibus defendi potuerunt, non nisi, excusso prius procuratore, restitutione in integrum gaudent. *L. 21. §. 2. et l. 39. D. ex quib. causs. mai.*

§. XI.

Quando finiatnr cura absentium?

Nunc ad modos, quibus cura bonorum absentis finitur, progredior. Finitur vero vel respectu curatoris, vel illius, qui disparuit. Huc pertinet, si curator suspectus, vel, quia bona suae fidei et curae commissa male administravit, a iudice remoueatnr, vel curator mortuus fuerit. §. 3. *I. quib. mod. tut. fin. L. 16. §. 1. D. de tutel.* Vide Smalcalder. *dissert. de illo, quod iustum est circa eos, qui disparuerunt, §. XXXII. sq. Tubing. 1758.* Ratione illius, qui disparuit, duplici potissimum modo cura bonorum finiri potest, si absens vel mortuus, vel reuersus fuerit. Mors autem eius, qui disparuit, vel praesumitur, vel satis probari potest. Praesumendam esse mortem ex temporis longioris lapsu vulgo statuitur, licet tempus istud iure ciuili non sit definitum. Sunt, qui mortem absentis ex centum annorum lapsu praesumant, freti auctoritate *l. 56. D. de Usufr. et l. 23. C. de SS. ecc.* vbi spatium centum annorum longissimum vitae humanae terminus dicitur. Hos autem refutat Leyser. *in Specim. 96. Medit. 4.* et Kind. *in dissert. dist. §. 8. seqq.* Sufficere alij putant annos septuaginta ex *l. 68. D. ad leg. Falcid.* quibus praeterlapsis, quis censetur esse mortuus, rati quippe, longissimam hanc esse hominis aetatem, ob effectum Mosis *Psalms. LXXX. v. 10.* Haec quidem praesumptio magis veritati congruit. Etenim non ex iis, quae raro, sed quae vt plurimum contingunt, praesumptiones oriuntur, ipsaque iura constituuntur. *Τὸ γὰρ ἀπαξ ἢ δις παραβαίνεσσι οἱ νομοθέται,* vt ait Theophrastus in *l. 6. D. de Legib.* Pro longissimo vitae humanae termino annum septuagesimum iam accepit Diogen. Laert. in *Solan. Segm. 55.* vbi sic: *Σόλων ἔρον ἀνθρώπων βίης Φησὶν ἔτη ἑβδομήκοντα.* Conscnit Herodorus *L. 1. c. 32.* et Clemens Alexandrinus *Στραμ. VI.* Digna est, quae de aetate et auctore *Psalms. LXXX.* conferatur *dissert.*

differt. Heumanni *Bibliothec. miscellan. Hamburg. Vol. I. P. 4.* inserta. Hoc vero septuaginta annorum spatium, tamquam ordinarium vitae humanae tempus, pleraque Collegia iuridica assumerunt, illudque ex consuetudine iam inueterata in foris Germaniae receptum est, cuius quidem consuetudinis non vilis auctoritas est. *L. 2. C. quae sit long. consuetud.* Annum septuagesimum attendere quoque solent *Statuta Dresdens. Cap. VII. §. 5. p. 31.* his verbis:

So ordnen wir, wann zu bescheinigen, daß zu der Zeit, da die nächsten Erben ab intestato sein Vermögen ihnen folgen zu lassen ansuchen, die abwesende Person das siebenzigste Jahr ihres Alters überschritten habe, daß uff solchen Fall dieselben weiter nicht aufgehalten, sondern die Verlassenschaft ohne Vorstand ihnen gefolget werden solle. In eandem sententiam conspirant quoque urbis Torgauensis statut. Tit. XIV. quorum verba afferre iuvat: Wenn eine Person sich von hinnen in die Fremde begeben, von deren Leben oder Tod in 30 Jahren, Jahre und Tage, nichts gewisses hat können erfahren werden, und kündlich ist, daß zu der Zeit, da seine nechste Erben ab intestato sein Vermögen ihnen zu folgen ansuchen, die abwesende Person das siebenzigste Jahr überschritten haben müsse, so soll nicht vermuthet werden, als ob dieselbe noch am Leben wäre, und demnach seinen Erben an Empfangung seiner Verlassenschaft kein Einhalt geschehen, dieselbe auch derwegen einigen Vorstand zu bestellen, nicht pflichtig seyn. Confer quoque Mylii Corp. constit. Marchucar. T. 2. 1 Abtheil. n. 250. Illustr. Wieselndii Juristisches Handbuch, sub voce: Abwesend §. 2. et Consult. Kindii diff. excitat. §. 10.

§. XII.

In Saxonia Electorali quomodo intuitu absentium procedi solet?

Quod ad ius Electorale Saxonicum attinet, obtinuit huc vsque circa mortem eius, qui disparuit, neque vllam sui fecit mentionem, praesumendam, planus procedendi modus. Si de absentis vita aut morte certo non constaret, post septuaginta annorum ab eius natiuitate computandorum, lapsum, is praeuio iudicis decreto, desiderantibus heredibus, pro mortuo declarabatur. *Carpzouius P. III. Conf.*

15. def. 57. Berger in *Oecon. iur. L. I. Tit. IV. §. 6. not. 11.*
 Hommel in *Rhapsod. Obs. 107.* Kind. in *laud. diff. §. 10.* Quod si
 quis post annum aetatis septuagesimum, patrios lares deseruerat, neque
 propinquos de statu suo et vitae genere electo, litteris certiores reddi-
 derat, anno demum centesimo pro mortuo iudicabatur, eiusque here-
 ditas legitimis heredibus, sine vlla cautione tradebatur. Ita iudicarunt
 Icti Liptienses mente Febr. 1748. cuius enunciati tenorem huc adpo-
 nere lubet: *Daß Kläger dasjenige, so ihm zu erweisen auferleget,
 und er sich angemasset, zur Nothdurft erwiesen, derowegen Be-
 klagter der verstorbenen Elisabeth Sängerin mobiliarische Verlaß-
 schenschaft, vermittelst eines zu Recht beständigen Inventarii, oder
 in dessen Ermangelung, einer cydlichen Specification, Klägern aus-
 zuantworten, dieser hingegen, so lange bis der abwesende Sänger
 das hundertste Jahr seines Alters erfüllet, oder dessen Tod beyge-
 bracht, dieser Verlassenschaft halber, hintängliche Caution zu be-
 stellen schuldig.* Quod enunciatum vna cum additis decidendi ratio-
 nibus, exstat in *Ohlenschlageri diff. Septuagenarius absens factus,
 quando mortuus habeatur. §. 10. Lips. 1751.* sub praesidio *Ferd.
 Aug. Hommehii* habita.

Tota vero nunc controuersia decisa est per Mandatum Electro-
 rale Saxonicum, quod die 13. Novembr. anno 1779. promulgatum est:
wegen Verkürzung der Curae absentium. Cum quo coniungen-
 dum est Mandatum eodem die *die Edictal - Citation in Civil - Sa-
 chen aufferhalb des Concurfus Creditorum betreffend,* editum. Prius
 quidem varia momenta rite obseruanda, proponit. Sancit vero, eum,
 qui per XX. annos in locis peregrinis commoratur, nec quemquam
 durante hoc tempore, et ne consanguineos quidem de vita vel de suo
 domicilio certiolem fecit, nec tandem ad magistratum loci, in quo
 postremo tempore habitauit, vel vbi bona reliquit, aliquid retulit, pro
 mortuo esse habendum. Deinde pro mortuis declarari iubet et eum,
 qui anno aetatis quinquagesimo exacto, aliunde discessit nec de sua vi-
 ta amplius quid retulit, modo annum septuagesimum attigerit. Por-
 ro mortuis annumerat quoque eum, qui anno 65. exacto, disparuit,
 dummodo praeterea praeterlapsum sit quinquennium, quod quidem a
 tempore absentiae est computandum. Illis tandem, qui iam tempore
 illius Mandati promulgati, per 15. 20. 30. aut etiam plures annos ab-

fuerant, et annum, durante hoc tempore, septuagesimum nondum afsecuti sunt, quinque adhuc ad comparandum, aut ad iura sua obseruanda, anni, a tempore promulgati mandati computandi, concessi sunt, quibus praeteritis, pro mortuis haberi iubentur. Sed isti Mandato Electorali permulti iudices, dum eius mentem haud satis recte perceperunt, non ita, ut quidem optandum fuisset, satisfecere, et plures euulgare citationes edictales effectu legitimo destitutas. Dubia enim adhuc haerebant iudicia, quomodo istud Mandatum esset accipiendum, ut ideo vel Senatus Lipsiensis Amplissimus super duabus quaestionibus huc spectantibus authenticam a Serenissimo Legislatore sibi expeteret interpretationem. Quarum una ita erat proposita: utrum is, qui iam diu et ultra 15. annorum spatium absuerat, mense vero Decembri, anni 1779. tantum sexagesimum nonum annum assecutus fuerat, demum mense Decembri 1780. ita, ut amplius quinquennium non esset expectandum, pro mortuo esset habendus? Altera vero sic fuit concepta: utrum spatium 5. annorum illi, qui anno aetatis sexagesimo quinto, et quidem primo aut secundo ante publicatum Mandatum anno, disparuerat, ibidem concessum, ab eo tempore, quo absens factus fuerat, an potius ab eo, quo Mandatum erat promulgatum, computandum esset? Hi scrupuli sublati fuere per subsecutam interpretationem authenticam, quam quidem hic communico cum lectoribus ex ipsis Rescriptis, quae ideo ad Amplissimum senatum Lipsiensem, nec non ad Scabinos Lipsienses, et uti mihi Illustr. Praeses confirmavit, etiam ad ICros et Scabinos Vitembergenses data fuere, in appendice sub ☉ et ☽.

§. XIII.

Uterior dicti Mandati expositio.

Sapientissimus legislator itaque Mandato adducto efficere voluit, ut in posterum cura bonorum absentis citius finiretur. Constituit igitur, ut cuius absens, nisi de commoratione sua, intra XX. annos, consanguineos vel amicos certiores redderet, iis praeterlapsis, pro mortuo haberetur, eiusque bona relicta proxime successuris addicerentur. Cum vero spatium viginti annorum, si quis ante annum quinquagesimum abiit, ordinarium vitae humanae terminum non completatur: haesit lex in septuagesimo aetatis anno, quo praeterlapso, quis pro

pro mortuo haberi debet. Si quis fortassis post annum quintum et quinquagesimum, vel paulo ante, vel etiam, dum septuagesimum annum iam egressus est, absens fuerit factus: tunc demum post quinque annorum spatium, quod a tempore absentiae currit, pro mortuo declarari debet. Ne denique absentes de noua constitutione ideo conquerantur, quod huius legis ignari bona sua nunc longe citius, quam antea fieri solebat, amittant, sapientissimus Legislator in fauorem eorum, qui annum aetatis septuagesimum quidem nondum attigerunt, tempore vero, quo Mandatum fuit promulgatum, iam 15. 20. 30. aut plures annos absuerunt, quinque adhuc concessit annos. Si hoc quinquennium a publicatione Mandati computandum fuerit elapsum, mortui esse censentur absentes. Scilicet per hoc spatium liberaliter indultum, adhuc viuere nouaeque legis noticiam consequi creduntur. Si igitur bonorum relictorum iacturam auertere cupiant, ante quinquennium finitum, vel reuerti ad suos, vel certe sui copiam facere debent. Sed ex iis, quae proposui, facile colligitur, citationes edictales ante lapsum istius quinquennii euulgatas, effectum legitimum non producere. Hinc, si heredes, antequam istud elapsum fuerint, hereditatem petant, eorum quidem petitio efficacia destituitur. Illustr. Praefes mihi narrauit, iam saepius eos fuisse repudiatos ista formula: daß deren Sachen noch zur Zeit nicht statt hat.

§. XIV.

Quomodo secundum hoc Mandatum emittendae sint citationes edictales?

Quasi igitur ex laudato Mandato absens ante annum aetatis septuagesimum pro mortuo declarari debeat, varia erunt, vt id rite fiat, obseruanda. Nimirum primum necesse est, vt saltem 20. annos quis absuerit, nec curatorem absentiae sibi constitui, curauerit. Deinde exigitur, vt durante hoc spatio, nullam sui mentionem fecerit, quod quidem per testimonia iudicialia ostendi potest, accedente interdum etiam curatoris absentis, si quem constitutum habuerit, testimonio. His vero, de absente nihil vnquam certi compertum fuisse, comprobatur. Porro in supplementum iurato asserere debent heredes, se nihil de absente audiuisse. His vero rite peractis, demum emittendis citationi-

tionibus edictalibus locus est, quae quidem tria spatia Saxonica plenaria, die affixionis et reflexionis haud computato, comprehendere debent. Affigendae illae sunt non solum in loco iudicii, sed etiam in 3. ciuitatibus (des engen und weiten Ausschusses) ditionum Saxonicarum, quin etiam in duabus exteris prouinciis, atque eae nouellis publicis Saxonis et peregrinis sunt inferendae.

§. XV.

Quomodo mors absentis probetur?

Absens, qui vita defunctus est, cura amplius haud indiget. Mors vero eius, qui diu disparuerat, saepe est probatu valde difficilis. Probari quidem potest absentis mors variis modis, et primo quidem testimonio magistratus, cuius iurisdictioni absens erat obnoxius. Eiusmodi testimonium vt sit iureiurando confirmatum, necesse non est, modo sit subscriptum et adposito sigillo publico firmatum. Vide *Leyser. Sp. 95. M. 17.* Deinde haec probatio perfici solet interdum praefectorum militarium, quorum iurisdictioni suberat absens, testimonio iurato, non obstante *Nov. 117. c. II.* Porro ea peragitur libris ecclesiasticis rite confectis, non vero nouellis, nec etiam instrumento, in quo mentio absentis tanquam mortui facta. *Carpzouius. P. I. Const. 16. def. 38. Mascard. de probat. Vol. 2. concl. 1078. n. 4.* Interdum mors confirmatur duorum testium iurata depositione, qui absentem mori eiusque pompam funebrem viderunt. Quin testis vnus iuratum testimonium de viso caduere diu absentis suffecisse ad probandam eius mortem, praeciudicio Scabinorum Ienenisum monstrat *Simon in diff. d. th. IX. cap. vlt.* Denique testimonio trium integrae fidei testium subscriptione firmato, vel a Notario publico confecto, mors ostendi potest. Confer *Engauii Progr. de cura abs. p. 8.*

§. XVI.

Finitur quoque cura absentis reditu.

Finitur quoque curatio bonorum absentis, si is reuersus fuerit. Nemo suis bonis facile est priuandus, et curatorem ideo cauere oportuit, vt redeunti illi, qui huc vsque disparuerat, proprietates bonorum

vna


vna cum fructibus perceptis, restituatur. Vnde sequitur, vt omnia bona reuerso restituere, ei inuentarium exhibere rationesque reddere teneatur. Carpzouius *P. III. Const. 15. def. 56.* Hinc absenti directae tutelae actio vtiliter applicata, non erit deneganda; e contrario vero curatori actionem negotiorum gestorum contrariam, vt et vtiliter actionem tutelae contrariam ad indemnitatem consequendam dari, nemo dubitabit.

§ XVII.

Quinam prae ceteris succedant in bonis absentis?

Viri docti valde inter se certant, a quonam tempore succedatur in bona absentis, et quinam pro heredibus habeantur proximis? Etenim quaestio mouetur, vtrum quis eo tempore, quo abesse coepit, an eo demum, quo leges illum pro mortuo declarant, pro mortuo sit habendus? Qui absentem statim a die abitus mortuum esse praesumunt, hereditatem eius tribuunt illi, qui tempore curae ob vitam absentis dubiam susceptae, gradu erat propior. Sibi enim persuadent, curam absentis latius patere, eam esse subsidiariam hereditatis petitionem, atque has opinionis suae rationes proferunt, quod curator ille legitimus pro absentis herede sit habendus, absens vero, ex quo tempore de vita eius dubitatum est, vita defunctus esse praesumatur. Hanc bonorum curatelam non nisi illis deferri aiunt, quam qui hereditatem iure sanguinis aut cognationis petere possent. Placet haec sententia Schiltero in *Exerc. ad D. XV. 73. et 76.* Wernhero in *Obs. For. T. III. P. III. Obs. 48.* Engauio in *Elem. iur. Germ. L. I. Tit. 28. §. 487.* et in *Progr. de cur. abs. p. 11.* Eandem quoque amplexus est Io. Ludouic. Schmidius, in libro, qui inscribitur: *Practisches Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden §. 514. et 517.* inque suis publicis Responis *Num. III.* Sed doctè atque egregie refutauit eorum sententiam Consult. Kindius in *diff. supra allegata §. 3. seqq.* qui rationibus idoneis monstrauit, praerogatiuam gradus in successione in bona absentis a tempore mortis praesumptae, non vero a tempore curae bonorum absentis primum demandatae, aestimandam esse. Cum enim absens viuus potius quam mortuus praesumatur, nec viuentis vlla detur hereditas, id tempus etiam, quo absens vel

num aetatis attigerat, vel per declarationem iudicalem pro mortuo habitus fuit, vnice erit attendendum. Neque vero desunt, qui eandem foueant sententiam, inter quos laudare hic sufficiat Leyserum in *Specim. 96. Medit. 9.* et Illustr. Kochium in *successione ab intestato civ. ex edit. III. §. 127.* et Hommelium in *Rhapsod. Obs. 107.*



○.

Churfürst 2c.

Liebe getreue. „Wir haben uns vortragen lassen, was ihr Innhalts
 „eures sub dato den 29. Decembris a. p. erstatteten unterthänigsten
 „Berichts, wegen Befolgung des am 13. Novembris dict. anni ins Land
 „ergangenen Mandats die Verkürzung der Curac absentium betreffend,
 „Unserer Entschliesung anheim gestellet, und was ihr zu Folge des am 7.
 „Jun. a. c. erlassenen Rescripts unterm 28. ejusd. fernerweit gehorsamst ange-
 „zeitget. Gleichwie es nun I.) so viel die angeführten Zweifel betrifft, fernerhin
 „bey der Vorschrift des Mandats bewender, da a) nach Maasgabe desselben
 „das 70. Jahr außerhalb des am Schluß des Mandats bemerkten Falles,
 „bey denenjenigen, welche sich nach bereits zurückgelegten 65. Jahre ihres
 „Alters und darüber entfernen, zum letztern Termine der Abwesenheit, nach
 „dessen Ablaufe ein jeder für todt geachtet werden soll, festgesetzt bleibet, und
 „b) die in dem nur bemerkten Falle der Entfernung nach bereits zurückgeleg-
 „ten 65. Jahre und drüber gestattete Frist, von der Zeit an, da der Abwesen-
 „de sich entfernt, zu rechnen ist, hiernächst auch II) in Ansehung derer von
 „euch, wegen des Abwesenden, Joh. Melchior Bolands, ingl. wegen derer
 „abwesenden Joh. Sam. Puffendorfs, Joh. Christoph Hügel's, Joh. Chri-
 „stoph Zwickerts und Joh. Christian Schleinitzens erlassenen Edictalien, da
 „Joh. Samuel Puffendorf und Conf. nach euerm Anführen sich mit Joh.
 „Melchior Bolanden in einer ganz ähnlichen Lage befinden, nach ausdrückli-
 „cher Disposition des Mandats, das Quinquennium von Publication des
 „Mandats an, abgewartet werden sollen; So habt ihr euch hiernach allent-
 „halben zu achten, insonderheit auch wegen Joh. Melchior Bolands in de-
 „nen

„nen zurückfolgenden Actis No. N. Vol. V. und wegen Joh. Samuel Puf-
 „fendorfs und Conf. sowohl als in andern ähnlichen Fällen, da gegen die
 „Absicht mehr erwähnten Mandats die Edictal- Citation von euch erlassen
 „worden, ferneres Verfahren auf sothane Edictales nicht zu verhängen. Ue-
 „brigens haben Wir Innhaltß der abschriffl. Beyfuge unter heutigen Dato
 „an den Schöppenstuhl zu Leipzig, in Ansehung des auf Anlangen eurer
 „zu denen Vormundschafts- Sachen Deputirten ertheilten Informats, wegen
 „des abwesenden Joh. Melchior Wolands, rescribiret. Mochstens euch nebst
 „Remission 2. Voluminum Actorum nicht bergen; und geschiehet daran
 „unsere Meynung. Datum Dresden den 21. Septembris 1780.

Freyherr v. Frisch.

Unsere Lieben getreuen dem Rathe
 zu Leipzig.

Carl Christian Vöser. S.

D.

Friedrich August, Churfürst ꝛc.

2c. **U**ns ist euer, zu Befolgung des unterm 21. Jul. a. c. in Ansehung des
 von euch auf Anlangen derer zu denen Vormundschafts- Sachen
 Deputirten des Rathes zu Leipzig ertheilten Informats, die Erlassung derer
 Edictalien wegen des abwesenden Joh. Melchior Wolands betreffend, organ-
 genen Rescripts erstatterer unterthänigster Bericht d. d. den 24. August.
 und Prf. 2. Septembr. a. c. gebührend vorgetragen worden. Wenn nun
 durch die Disposition des die Verkürzung der Curae absentium betreffen-
 den, am 13. Nov. a. p. publicirten Mandats, daß in Zukunft ein Jeder,
 der sich von hier in die Fremde gewendet, oder noch wenden würde, und
 binnen den letzten 20. Jahren, keine Nachricht von seinem Leben und Auf-
 enthalte gegeben, nach Ablaufe dieser 20 Jahre für todt geachtet, auch
 solchenfalls auf Ansuchen derer nächsten Anverwandten, mit Erlassung de-
 rer

rer Edictal-Citationen, nach der in dem wegen der Edictal Citationen in
 Civil-Sachen unterm 13. Nov. a. p. ins Land ergangenen Mandat beschrie-
 benen Maasse verfahren werden solle, die gesetzliche Vorschrift für das Ver-
 fahren des Richters im Allgemeinen festgesetzt, dagegen aber am Schluß
 des Eingangs erwähnten Mandats denjenigen, welche sich bey Publica-
 tion desselben bereits über 15. Jahr abwesend befinden, mithin auch denen,
 welche bey Publication des Mandats sich bereits seit 20. 30. und mehrern
 Jahren abwesend befinden, und nicht immittelst das 70. Jahr ihres Lebens
 erfüllet haben, noch eine Frist von 5. Jahren, nach deren Ablauf sie eben-
 falls pro mortuis geachtet werden sollen, ausdrückl. gestattet worden; So
 begehren Wir, ihr wollet euch in vorkommenden Fällen hiernach achten,
 inmaßen Wir auch Inhalts der abschriftlichen Beyfuge, unter heutigen
 Dato an den Rath zu Leipzig, wegen des so wohl in Ansehung Joh. Mel-
 chior Bolands, als auch in einigen ähnlichen Fällen verhängten Verfahrens
 und wegen derer über die Befolgung des Mandats geschehenen Anfragen
 rescribiret. Wochtens x. Und x. Datum Dresden den 21. Septem-
 bris 1780.

An
 den Schoppen-Stuhl zu Leipzig.



X 2596483

m.c.

DE
**BONORVM
SENTIS**

SERTATIO

QVAM
RAESIDE

**GIO STEPHANO
ESANDIO**

TITVTIONVM ORDINARIO CV-
IALIS SCABINATVS ATQVE
CONSULTORVM ASSESSORE

VTROQVE IVRE HONORIBVS
ONSEQVENDIS

H. L. Q. S.

ARTII. A. R. S. MDCCCCLXXXII.

DRVM EXAMINI SVBMISSVRVS EST

A V C T O R

VILIELMVS ROSZTOCKIVS

VARSOVIA - POLONVS

ADV. IMMATR. ET NOTAR. PVBL. CAESAR.

VITEMBERGAE,

DAMI CHRISTIANI CHARISII.



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

8	Black	
7	3/Color	
6	White	
5	Magenta	
4	Red	
3	Yellow	
2	Green	
1	Cyan	
0	Blue	